

Dissertatio inauguralis medica, sistens compendiosam et clinicam praxin morborum ex atonia viscerum ortorum cum cautelis / [Christian Andreae].

Contributors

Andreae, Christian, -1734.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Litteris Salfeldianis, [1709]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fxrcq29s>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
SISTENS

23
24
**COMPENDIOSAM
ET CLINICAM PRAXIN
MORBORUM EX ATONIA
VISCERUM ORTORUM
CUM CAUTELIS,**

Quam,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA.

SUB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,
POTENTISSIMI REGIS BORUSSIAE CONSILIARII
AULICI ET ARCHIATRI, MED. P. P.

P R O L I C E N T I A,

SUMMOS IN ARTE MEDICA CONSEQUENDI HONORES,
Publico Eruditorum examini subicit
IN AUDITORIO MAJORI

Horis consuetis d. Octobr. MDCC IX.

**CHRISTIANUS ANDREÆ,
HAL. MAGDEBURG.**

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,
LITTERIS SALFELDIANIS.*



PRÆFATIO.

DUplex imprimis morbi genus est, quo corpus nostrum adfligi solet, præceps acutumque alterum, & quod celeriter rapit hominem, alterum longum ac diuturnum & quod vitalibus inhærens penitus lente cunctanterque ægros trahit, ut velut molli consumti flamma contabescant. Utriusque mali medicina a medico petitur & utrique idem medicinam parat, occurrendo, movendo, præsidia conquirendo, ad utriusque tamen generis curationem non parem se adferre operam necesse est confiteatur. Confiteri enim oportet, parum se valere in removendis celeribus morbis, sed in eorum cura plus sibi quidem naturam, quam artem vindicare, ipsum vero tantum velut spectatorem adesse, motuumque quos salubriter molitur illa, moderatorem. Magis contra proficere potest in morbis chronicis seu diuturnis, magis in iisdem artis scientiæque ostendere præstantiam, quippe sub his parum potens natura non facile per se excutit insidens altius malum, nisi segnescens ejus

vis & sub mole morbi defatigata plane a prudenti medico excitetur. Neque id fefellit veterum sagacitatem, qui in acutis morbis parum posse artem, in chronicis vero eandem quam plurimum sibi adrogare, non inepte adseruerunt. Ex quibus quidem unicum Cornel. Celsum in testimonium vocare iuvat, cujus verba, cum non publici saporis sint, quibus libro III. elegantissimi operis præfatur, non alienum puto hic recensuisse. *In nullo quidem inquit, morbo minus sibi vendicare natura quam ars potest, utpote cum repugnante natura ars nihil proficiat. Magis tamen ignoscendum est medico parum proficienti in acutis morbis quam in longis. Hic enim breve spatium est, intra quod, si quod auxilium non proficit, ager extinguitur. Ibi & deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, adeo ut raro, si inter initia medicus accessit obsequens ager sine illius vitio pereat.* Adjicit & rationem idem, quamvis paulo rudiorem, non indignam tamen utique rudi illo seculo, quo rationalis medicina, unica fultura nostræ artis, altis tenebris æternoque squalore sepulta jacebat. Nos in beatioris seculi luce nati non ignoramus, in acutis perennem sanguinis in orbem motum spasmodica fibrarum constrictione intentiorem factum, ea ipsa vi ac impetu, quo infectus est, materiam morbi, quæ corpus male habet, per varios meatus corporis exterminare. Id quod ubi accidit, morbus ipse solvitur, non medici sed solius naturæ beneficio, penes quam conservati hominis decus & restitutæ valetudinis gloria est, frustra medico eandem adpetente. Quæ quidem amplior ipsi contingere potest in morbis diuturnis,

nīs; in quibus cum langueat motus, attrito solidarum partium robore & abundante insuper materiæ mole, non difficile est intellectu, naturam hic parum sufficere elidendo morbo, sed manum medici omnino desiderare, qui, perfractis obstructionum claustris, senescentem motum sanguinis augeat pristinamque præstet sanitatem. Quare quo majus ampliusque propositum est theatrum medico in chronicis morbis, ad famam gloriamque adspirandi, eo intentiorem industriam adhibere debet, ut eorundem morem geniumque recte cognoscat, ut illorum iciat causas, ut signa denique explorata habeat, quibus secundam adversamque curam sibi possit polliceri. Id enim si recte intellexerit & cum laude curationem inibit & id inde trahet commodi, ut a conclamatis malis manum abstineat, vel si admoverit, prudenti prædictione famæ consulat, ne secus cedente cura, turpiter se det, & quam, exhausta penitus natura, attulit mortem, sua ignorantia ægro arcesivisse existimetur. Atque ex chronicis quidem morbis gravissimos omnium esse, qui in visceribus consistunt, facile judicaverit, qui considerat eorum officium esse nutrimentum toti corpori præbere & secretioni atque excretioni humorum, quæque ad tuendum sanguinis motum pertinent, unice inservire. Quo magis inter est, ut horum maxime adfectuum indolem ingeniumque medicus curiose contempletur, eorundemque cognitis causis, medendi inde ducat rationem. Ego, cum pro licentia honorum Academicorum rite consequendorum, ingenii specimen dandum esset, in conspectum dare constitui quosdam ex diuturnis

adfectibus, qui in viscera incidere conveverunt, argu-
menti hujus imprimis utilitate sollicitatus. Deus, qui
fons est omnis bonitatis, hunc laborem ita fortunet
precor, ut agrorum saluti aliquid levaminis exinde
adferatur.

CAPUT I.

De

Atonia & obstructione hepatis,

OBSERVATIONES.

I.



Eteres hepaticos vocabant, qui ex he-
patis imbecillitate sive atonia ejusdem la-
borabant, sicuti ab iisdem stomachici &
coeliaci adpellabantur, quibus ventricu-
lus languebat.

II. Quando robur glandularum, vaso-
rum & tunicarum hepatis solvitur, circu-
latio humorum segnescit, lymphæ & bilis parum recte secer-
nuntur, quod hepatis officium esse consuevit.

III. Ubi sanguis per hepar non bene procedit, ad venas
meseraicas declinatur, quæ exinde in plethoricis, cachecticis
& quibus consuetæ alioquin sanguinis excretiones subste-
runt, non raro aperiuntur, serum instar aquæ, ex qua recens
caro lota fuit, in intestinorum canalem effundentes. Et qui-
dem hic affectus rarior est & dysentericæ hepaticæ nomine in-
signitur.

IV. Ex imbecillitate hepatis sæpius accidit, ut bilis diu-
tius detenta, intra alveum suum crassa, mordax, graveolens
& nigra fiat, quæ postea motu quasi critico magna in copia
in duodenum exonerata, vomitus in eodem provocat nigri-
cantes.

Frequens hic casus hypochondriacis, frequens etiam in febris acutis, tertianis, continuisque, in quibus vitiosa hæc bilis, quæ corpus male habet per vomitum alvumque sæpius rejicitur.

V. Sanguinis fluxus per sedis venas, hepatis imbecillitate laborantibus, est quoque familiaris.

VI. Ab imbecillitate hepatis grave nascitur malum, infarctus nempe capillarium vasorum hepatis a sanguine, qui in extremis vasorum partibus incipit. In causa est plerumque sanguinis & succorum abundantia, illorum lentor & crassities, ex victu crasso & viscido suborta, præsertim quando motu vehementiori corporis aut graviore animi perturbatione cum impetu sanguis ad hoc viscus fertur.

VII. Sequuntur obstructionem hepatis ex retentione bilis natam morbus regius, lenta febris, quandoque etiam inflammatio, atrophia, maxime in iis, quorum habitus corporis venarum angustia laborat. Notæ vero obstructionis hepatis sunt: In dextero hypochondrio sentitur dolor gravativus tensioque, sæpe tumor etiam dicto hypochondrio insidet, facies male colorata & flava apparet aut pallida, pulsus inæqualis, spiritus gravitas, corpus calidius, alvus modo adstricta modo liquida, invalidi redduntur ad exercitationem, septo transverso compresso, urina decolorata.

VIII. Obstructio inveterata hepatis vel in scirrhum lienis vel ejus putredinem & sic in lentam febrem, hydropem vel totius corporis maciem sive atrophiam definit, quo magis necessarium est, ut quamprimum venienti malo occurramus.

XI. Scirrus hepatis cognoscitur ex renitentia tactus, ea in regione ubi hepar situm est. Adest simul dolor, qui tamen magis urget si quis in dextrum latus decumbit, quam si supinus jacet, si nondum hydrops incepit, si abdomen gracile nec multo adipe abundat, vultus obscuri & fædi coloris, sumtis epulis homo mali vim maxime experitur.

Cura

Curatio.

Curatio eo dirigenda est, ut, reclusis vasis hepatis, circulatio sanguinis per hoc viscus integra restituatur, tono vasorum & tunicarum corroborato. Cui quidem fini egregie respondent.

1) Martialia & salia amara v. g. Recipe limaturæ Martis in subtilissimum pulverem redactæ drachm. i. reguli antimonii medicinalis, salis absynth. arcani duplicati an: drach. unam semis, nitri purificati drach. semis, olei menthæ gut. x. misceantur, fiat pulvis, qui per aliquot septimanas propinetur singulis diebus matutino tempore infuso Veronicæ vel chamædryos insuper adsumto ad libram semis & corpore post id paulo acrius commoto.

2) Unice profunt pillulæ polychrestæ ex amaris extractis, gummatibus paratæ, quæ circa noctem debent assumi, eo tempore quo pulvis martialis jam descriptus adhibetur. Formula potest esse talis: Recipe extr. absynth. cardui bened. centaur. minoris, aloës succotrinæ, myrrhæ el. gummi ammon. terebinth. an. drachmam semis fl. benzoes extracti rhabarb. extr. ligni Gvajaci an. gr. XV. salis succini gr. VIII. olei carvi gut. x. misceantur f. l. a. pillulæ ex scrupulo uno no. XXX. d. f. Pillen 20. auff einmahl.

3) In hepatis obstructione ejusdemque scirrho emplastrum diachylon, de gummi ammoniaci non alienum est extrinsecus impositum.

4) Potus acidularum vel aliarum aquarum salubrium commendandus est cum debito regimine, balneo aquæ dulcis subinde interposito.

5) Motus & exercitatio corporis, five equo, five curru, mirifice attenuat sanguinem & obstructionum claustra perfringit.

Monita & cautela.

1) Venæ sectionis usus admodum necessarius in iis est, qui ex obstructione menstruorum vel hæmorrhoidum, vel

vel sanguinis abundantia in hoc malum inciderunt. Minus eadem convenit iis, qui ex morbo gravi convaluerunt, qui sero copioso abundant & sic dictæ frigidæ naturæ sunt.

2. Sanguinis detractio, si usum habet, commodissime præmittitur curæ aut usui æcidularum & thermarum.

3) Omnia aperientia validiora, calidiora, olea destillata cum cura vitentur, quoniam minus tuta sunt, præsertim ante purgationem.

4) Noxia quoque omnia validiora purgantia, securius dederis ea remedia, quæ per epicrisin clementer alvum deducunt, & simul roborandi pollent facultate.

5) Infusis quoque ex aperientibus herbis, Marti, carminativis & laxantibus paratis, sua hic laus merito reddenda est.

6) Martialia & tincturas æque circumspicte adhibere oportet, non facile in usum trahendæ, nisi præmissa venæ sectione & sanguine tenui fluidoque reddido & per motum ac diluentia attenuato; alias facile obstructione sua disponunt ad scirrhum, tumores & pejus malum efficiunt.

7) In victu omnia dulcia, acida, crassæ cerevisiæ, crassa vina, fructus acerbi, quæ ex farina constant, pisces marini, ex leguminibus lentes, panis acidus, copiosior victus, somnus mox a cibo aut post cruditates, lucubrationes vitentur.

8) Ex vegetabilibus sub hoc malo usui sunt capparæ, asparagi, fœniculum, radix petroselini, cichorei, satureia, pulegium, thymus. Hac medendi ratione in iis, qui ex imbecillitate hepatis languent, ejus scirrhus, icterus, cachexia, atrophia, hydrops & alia mala optime avertuntur. Scirrhi inveterati vero non admittunt medicinam, quia remedia minus sufficiunt obstructionibus excutiendis.

CAPUT II.

De,

Ictero flavo & nigro.

OBSERVATIONES.

I.

Icterus est diffusio bilis per totum corpus mediante sero sanguinis & lympha, proveniens a circulatione bilis impedita & itinere eidem in duodenum intercluso.

II. Cognoscitur icterus maxime ex cutis & albæ oculorum membranæ tinctura flava, fecibus flavis, urina rubicunda crassaque, quæ lintea croceo colore inficit, capitis dolore, lassitudine & vertigine. Neque dubium est, quin & cerebrum flavo colore perfundatur. Vexant porro sub hoc malo corpus pruritus ac inhærentes quasi aculei, sudor difficilis, accedit quoque sitis.

III. Contumacior est icterus niger, qui senibus familiarior & graviora vitia lienis & hepatis prænunciat. Sub hoc urina sæpe nigra descendit, tristitia sine causa ægrum adficit, difficultas spirandi, ciborum averfatio adfectum premit; Si diu persistit nec medicamentis cedit, hydrops facile subsequitur.

IV. Causa effusæ bilis in habitum corporis est ejus regurgitatio in vasa lymphatica per poros ductus hepatici; idque contingit, impedita ejus excretionem, vel ob ductum choledochum aut cysticum vel hepaticum obstructum calculoso tartareo viscido concremento, vel spasmodica constrictione occlusum.

V. Distingvitur icterus in chronicum & transitorium; ille gravior, hic levior est; ille ex causa materiali nempe ex calculo oritur, hic ex spasmō magis ac flatu; ille obstructionis & scirrhi hepatis, cachexiæ comes est & sensim fit, sed diutius durat, hic celerrime invadit & ab ira, a purgantibus, venenis, spasmis ventriculi & duodeni, item febris tertiana acuta, ter-

ta, tertiana continua, duodeni aut ventriculi inflammatione, denique in colico aut flatulento dolore excitatur.

VI. In fellea cystide sapissime calculi latent citra icterum, si vero illi moventur & transeunt canalem cysticum, vel hærent in canali choledocho illumque obstruunt, icterus exoritur, dolore ardente circa scrobiculum cordis in latere dextero, nausea, vomitu, torminibus sævis circa dictum latus ægrotos comitante, ob bilis nempe acerrimæ stagnantis transfusionem per poros cysticos in partem coli vicinam.

VII. Quandoque suppressi menses in virginibus allegati morbi causa sunt.

VIII. Icterus inflammationi hepatis vel duodeni aut ventriculi accedens in ancipiti ægrum esse significat, Signa sunt febris ardens, præcordiorum intensus æstus ac dolor cum extremorum frigore, urina colorata & singultus.

IX. Icterus ex scirrho hepatis proveniens & quem præcordiorum dexteræ partis durities comitatur, desinit plerumque in icterum nigrum, & hydropem non procul abesse prænunciat.

X. In febribus ardentibus nempe tertiana intermittente, continua, crisin plerumque testatur, materia biliosa foras erumpente, & tunc alvi excrementa & urina plerumque secundum naturam se habent & vires morbi imminuuntur; Quandoque observatum est certis diebus rediisse icterum.

Curatio.

Curatio in ictero differt pro causarum differentia.

1) Quando ex ventriculi & duodeni aut hepatis inflammatione oritur, præcipuo morbo, inflammationi nempe, succurrendum est lenioribus diaphoreticis cum antispasmodicis mixtis; Talia sunt spiritus Dn. Præsidis anodynus mineralis cum essentia alexipharmaca mixtus, item pulvis bezoardicus cinnabarinus cum nitro & pauxillo camphoræ ac theriaca cœlesti compositus.

2) Ubi a spasmō vel iracundia icterus provenit, emul-
sio cannabina, semen papaveris item pulvis nitrosus, lapides
cancrorum cum croco, nitro mixti, expediunt; Clysteres
quoque emollientes & anodynī tali in casu non mediocri le-
vamentum præstant.

3) Quando ex infarctū & obstructione glandularum he-
paticarum invaserit icterus, sequens infusum pròdest: Re-
cipe rad. quinque aperient, rad. rubr. tinctorum an. unciam
semis, herbæ agrimonix, chamæpit, summitatum cent: minor.
ana manipulum semis, rhabarb. Alexandr. drach. vj tartari
crudi unciam semis coque in mens. semis aquæ, adde syrapi
cichor. cum rhabarb. m. d. s. *Eröffnender Trancf / alle 4. Stun-*
den ein Weinglaß voll zu nehmen.

4) In ictero diuturno, qui ex obstructione hepatis profi-
ciscitur cum cachexia, utilissimum est aquis salubribus, v. g.
Padanis, Pymontanis corpus eluere. Commodissime etiam
balnea adhibentur adjecto debito regimine & amaris rhabar-
barinis remediis simul adhibitis.

Cautela.

1) Post balnea, si effectus perseverat in facie & oculis,
sternutamenta conveniunt. Martialia ventriculus sæpe ferre
nequit, tutius itaque sumuntur in forma liquida vel in vino
chalybeato.

2) Si icterus est chronicus, vel etiam e vitio mensium
fit, martialia sæpius laudata cum pillulis polychrestis usur-
panda sunt. Balneum, materia morbifica sublata, egregie in
fine dissipat fœdum colorem.

3) Si alvus est obstructa, clystere emolliente sæpius est
aperienda, eodemque etiam spirandi difficultas adlevatur;
In potum commendatur vinum album decocto graminis di-
lutum.

4) Vena secanda est, si ex infarctū sanguinis oritur, præ-
sertim si icterus per certos temporum circuitus recurrere
consuevit.

☉ (13) ☉
CAPUT III.

De
Cachexia.

OBSERVATIONES.

I.

EX atonia viscerum infimi ventris, præsertim hepatis & lienis descendit quoque morbus, qui Græcis cachexia, latinis malus habitus dicitur. Habitus autem corporis nomine denotantur partes musculosæ complectentes simul cutim, quoniam non laudabili & balsamico sanguine, sed corrupto, seroso, aquoso irrigantur, fibris simul nimium relaxatis & a robore ac tono debito recedentibus.

II. Notæ cachexiæ sunt color corporis pallidus cum virore albicans & flavescens, corpus grave, infirmum cum crurum vacillatione. Adest etiam cogitationis mentisque torpor, animus deses, venter flatibus turgens, oculi concavi, somnus gravis torporem afferens, respiratio difficilis ac debilis, urina & sudor exiguus, crurum ac pedum tumor, oculorum quoque palpebræ intumescunt.

III. Patet huic malo senilis maxime ætas; minus ei obnoxii sunt juvenes, quia hi confirmatione fibrarum vi ac robore pollent, unde sanguinis motus promptior citatiorque corpus perluit.

IV. Differt cachexia ab atrophia, quod in hac corpus maxime extenuatum contabescit, in illa vero corporis moles plena ac copiosa est.

V. Ad cachexiam viam aperiunt febres varii generis inconsiderate adstringentibus cohibitæ, item suppressæ consuetæ evacuationes & nimius sanguinis fluxus per uterum & hæmorrhoides effusus. Ad eandem etiam disponit diuturnior diarrhæa, aër humidior pluviolosus, vita sedentaria, belliariorum abusus, habitus corporis copiosis sed parvis venu-
lis refertus.

VI. Cachexia dicitur scorbutica, si serum sanguinis salibus corrosivis scatet & exulcerationes putridæ in cruribus, in gingivis naribusque sese ostendunt, nec non dolores acerbiores artuum urgent & urina colorata ob salium copiam effunditur.

VII. Non omnis faciei color pallido viridis cachexiam coarguit, sed tum demum illam subesse intelligitur, quando ejusmodi color perseverat & qui ex vitio viscerum promanat. Videmus enim quosdam omnem faciei decorem amittere, non quod cachexia visceribus inhæreat, sed quod ventriculus eorum humorum vitiosorum mole prematur. Id quod ipsa curandi ratio comprobatur; quippe sæpius animadvertimus ejusmodi homines, ejecta per alvum vomitumque copiosa materia, manifesto fuisse allevatos, pristinumque vigorem orisque formam recepisse.

Curatio.

Curationis ratio hæc esse debet, ut blanda indoles chylis, sanguini ac humoribus restituatur, viscera roborentur, circulus sanguinis fiat expeditior & copia impurorum humorum per varios meatus corporis exterminetur. Neque quidem aliam medendi ordinem hic morbus desiderat, quam qui superiori capite de obstructione hepatis propositus fuit. Scilicet martialia & balsamica, sicut in plerisque chronicis ita hic etiam utramque faciunt paginam.

Cautela.

Si quo in morbo, certe in cachexia adprime necessarium est, ut quam primum fieri potest, malo occurratur. Metus enim est, ne si curatio tardior accedat, in hydropem æger præcipitetur.

I) Quod si cachexia ex evacuatione aliqua, quæ subito constitit, occupavit corpus, operam dare oportet, ut illa excretio, quæ defecit, commodis remediis revocetur. Juvat vero sub tali casu venam incidere, & si nihil prohibeat, sanguine.

sanguinis detractionem dividere, paulatim per triduum vitalem laticem emittendo. Quod auxilium iis maxime saluti est, qui ex mensuris vel hæmorrhoidibus suppressis in hoc malum inciderunt. Inimica contra est venæ sectio iis, qui mole vitiosorum humorum turgidi non multum sanguinis intra venas fovent.

2) Cachectici nunquam violentis tractandi sunt medicamentis, quem in finem sedulo oportet fugere omnia acriora purgantia, sudorifera calidiora & mercurialia. Præferenda sunt ceteris remediis amara cum balsamicis mixta & inter ea aloë, absynth. myrrha, crocus & quæ ad hunc ordinem connumerantur.

3) Victus ratio diligenter est observanda, somnus sit moderatus, exercitatio, motus corporis frequens, frictione quoque corpus exercere oportet cum sale, oleo laurino. Conveniunt præterea thermæ, vitatis omnibus bellariis nitrosis & aquæ potu.

CAPUT IV.

De

Hydrope.

OBSERVATIONES.

I.

Hydrops distingvitur vulgo in anasarcam & ascitem. Anasarca est tumor aquosus, quo spongiæ instar turget musculosa caro multa aqua sive sero suffusa. Ascites nomen ex eo traxit, quod in abdomine tanquam in utroque aqua collecta adfervetur.

II. Tympanites non proprie species est hydropis, sæpius vero jungitur asciti.

III. Omnis hydrops comitem habet tumorem, gravitatem & vitiatum colorem ex viridi albicantem. Jungitur cibi fastidium potusque appetentia.

IV. Ascites apparet ex pedum & abdominis tumore
 supe-

superiorum partium tabe, urina exigua & rubicunda. Oritur sepius ascites ex hydatidibus hepatis disruptis, vel etiam, quando post gravem iracundiam aut æstum immodicum avide potus frigidus ingeritur; Ex palpitatione quoque cordis nimia, ex asthmate, ex quartana, ex mensium vel hæmorrhoidum suppressione, ex scabie retropulsa in pueris hydropem fieri medicorum observationes contestantur.

V. Hydrops qui in ætate juvenili, qui ex mensium suppressione accidit, item qui ex scabie ad interiora depulsa pueros affligit, facilius curatur, difficilius in senibus & ubi scirrhus & gravi obstructione hepar laborat, expugnatur.

VI. Anasarca, si tumor nimium increvit & ex hepatis vitio originem traxit, præsertim in senibus, vix recipit curationem. Sin vero eadem ab ingesto nimium potu in febribus nascitur, vel post diuturnum morbum, qui corpus male habuit, aut victus copia arcesitus, facilius removetur.

VII. Hydropi si accedit erysipelas cum febre & illud non modo tibiam, sed & crus invadit, minus læta ægio augurari licet. Desperatum vero malum significant perpetuum cibi fastidium, pulsus celer, urina exigua & rubicunda, partium superiorum marcor & asthma, murmur, fluctuatio & prolapsus aquarum in abdomine.

VIII. Hydrops pectoris sæpe ex asthmate convulsivo fit, ruptis nempe vasis lymphaticis in thorace.

IX. Familiares sunt ascite laborantibus dejectiones cruentæ & similes aquæ, in qua recens caro lota fuit. Excipit sæpe hydrops magnam hæmorrhagiam narium in cachecticis & iis, qui obstructione hepatis affliguntur.

X. Recluso corpore eorum, qui hoc malo perierunt, plerumque vitio laborat hepar, & tensum, aridum & exsuccum, nimis magnum vel instar corrugati corii contractum reperitur.

XI. Signa imminentis hydropis sunt asthma, urina pauca & ægre descendens, aquarum per urinam difficilis transitus,

tus, pallidus faciei color, habitus corporis spongiosus & flatus circa hypochondria tumultuantes.

Curatio.

Si hydrops curationi adhuc patet, omnia ea, quæ hepar obstructum referant, bonam clementemque indolem ac vim humoribus reddunt, excretiones & transpirationem liberio-rem movent, commendanda sunt, & quæ proposuimus reme- dia in capite de hepatis obstructione. Eximia nempe sunt aloë, rhabarbar. myrrha, refina gum. quajaci, benzöe, tere- binth. extr. absynth. centaur. minoris item falia alcalina, terra foliata tartari.

Cautela.

1) Optime consulit famæ, qui desperato hydropi ma- num non admovet, siquidem remedia hic parum proficiunt & alium plane effectum sortiuntur.

2) Si purgandum, rarius id fieri oportet & præparandi prius sunt humores, obstructiones removendæ, sique pur- gatione opus est, fortiora utique admovere oportet, uti sunt emetica cum purgantibus mixta, v. g. mercurius vitæ ad gra- na aliquot cum extracto hellebori nigri & extr. aloës sumtus.

3) Vomitoria in hydropicis amittunt suam efficaciam & potius per inferiora quam superiora exitum adfectant, al- vum copiosissime deducendo. Ideoque longe magis sunt præferenda purgantibus nimis acribus & drastis.

4) Radix asari, levistici, aristolochiæ, absynthium, cen- taur. minus, si coquantur ex cerevisia & hac utantur ægro- tantes sæpius, ipsis erit remedium uti simplicissimum ita opti- mum in anasarca.

5) Ventris scrotique perforatio plerumque feralis & ad- versa esse solet, mortem interdum accelerans. Locum po- test habere, ubi viscera adhuc sunt sana & hydrops cito orta fuit.

6) Crurum scarrificationes & apertiones non carent periculo, gangrænam plerumque post se trahentes. Id quod & de cauteriis animadvertendum.

7) Sudor per balneum laconicum iuvante spiritu vini elicitus & in clibano utilis est in fine, quando visceribus demta fuit obstructio & dejectiones feri præcesserunt; Cæterum omnia sudorifera interna & externa plus nocent, quam profunt, respirationem difficiliorem efficiendo.

8) Si viscera laborant duritie vel scirrho, caute martialia sunt adhibenda, quippe quæ tunc obstructione malum augent, facile provocant œdemata pedumque hydropem.

9) Si ex suppressis menstruis hydrops excitatur, crura & tali sæpius scarrificandi sunt, Arena etiam calida tali in casu tumida membra fovere convenit, siquidem humor inde egregie exarescit.

10) Hydropem optime avertunt usus acidularum, thermarum tempestivus & martialium amarorumq; usus. Prodest etiam vehementiore motu, equo scilicet frequenter corpus concutere.

11) Fodus ex aceto, ferri condenti infuso, factus, mirifice solet tumores pedum discutere, quod etiam faciunt thermæ artificiales ex calce viva, alumine, nitro, sale & sulphure paratæ. Externe folia ebuli imposita pedum tumoribus egregie opitulantur.

12) Clysteres ex decocto ireos, centaur. min. absynthi. puleg. rutæ, origani, hiera picra, cumino, ol. laurino, aneth. terebinth. fl. sambucci, bacc. lauri parati egregium præstant adlevamentum, præsertim si flatus occurrunt.

13) Postremo utilissimum est tumentes partes curiose velare ne adspirans frigus eas offendat.

I.

Scorbutus est corruptio insignis humorum corporis nostri, proveniens a copia excrementorum, quæ, cum emunctoria & colatoria, quæ depurationi sanguinis inserviunt, obstructa sint, intra corpus accumulatur. Quo major itaque est obstructio colatoriorum, hepatis nempe, renum, cutis alvique, eo vehementior est scorbutus, eo uberius impuri humoris seges intra corpus luxuriat.

II. Varia incedit facie scorbutus idemque gradu differre. Si minor est impuritas, dicitur cacochymia; Sin vehementior acriorque insedit humoribus corruptio, quæ non transitoria est, sed a viscerum vitio exorta altius inhæret, κατ' ἐξοχήν vocari solet scorbutus. Atque ad hunc morbum omnia quæ circulum sanguinis segnem ac tardum reddunt, quæ benignam humorum indolem imminuunt, robur partibus solidis detrahunt, necessarias excretiones & secretiones retardant, viam pandunt & generationi scorbuti maxime lenociantur. Inde est, quod aer frigidus & humidus, qualis est maritimus & in regionibus septentrionalibus item quies, otium, habitatio in locis paludosis & humilioribus, diuturnæ navigationes, victus durus, salus, acidus, aquæ cœnosæ, exercitatio corporis impedita & potus parcus eundem procreent. Nimius porro animi mœror, consuetorum sanguinis evacuationum suppressio, alvus tardior, venæ sectio neglecta in plethoricis, præsertim in senibus, scorbuto producendo maxime inserviunt, cum homines agrestes, qui corpus labore exercent, prætereant.

III. Antiquis medicis incognitus scorbutus fuit, quoniam

niam in Græcia, Gallia, Italia, Africa ob tenue cœlum & transpirationem promptiorem hic morbus non observatus fuit. Vagatur ille potius per regiones Septentrionales & maritimas, unde ignotus fuit veteribus, quia nemo in frigidis illis plagis extitit, qui de medicina aliquid literis commendavit.

IV. Cognoscitur scorbutus ex gingivarum nimia laxitate, plus minus grandioribus & livescentibus maculis, putredine, hæmorrhagia gingivarum fauciumque corruptione. Patet idem ex dolore artuum fixo vel vago, pruritu, exulceratione cutis, doloribus abdominis, iisdemque lacerativis & vermicularibus artuum, qui noctu magis affligunt & hyeme quam æstate & de die, urina saturate rubra, sedimento arenoso rubro repleta cum supernatante pingvedine; Solet terminari in atrophiam & hydropem.

V. Scorbuticorum membra facile gangræna corripuntur & sphacelo ex levi externa causa. Quandoque etiam sphacelus & corruptio ossa extremarum partium invadit non sine magno periculo.

VI. Scorbutus variis sese admiscet morbis & ubi est endemicus, semper respiciendum est in morborum curatione ad hoc malum. Inde dicitur colica scorbutica, erysipelas scorbuticum, febris purpuracea scorbutica, paralytis scorbutica, cachexia scorbutica, convulsio & spasmus scorbuticus, qui variis ludit modis, modo hanc modo illam partem afficiendo.

VII) Scorbutus contagiosus morbus est propter putredinem summam humorum, idemque ut alii putredinis morbi & celeriter augetur & mirifice propagatur.

VIII. Distinguitur scorbutus a lue venerea, (1) quod hæc subito adpareat citra causam externam & primum sese ostendat in partibus genitalibus, (2) quod mercurialia scorbutus plane ferre non possit, lues venerea vero raro sine illis feliciter curetur. (3) Quod scorbutus gingivis sit infectus.

stus & maculis magnis stipatus, urinam valde saturatam re-
praesentet, quod in lue venerea non accidit.

IX. Scorbutus merito in calidum & frigidum distin-
gvitur. Calidus dicitur, ubi symptomata majori cum dolo-
re, majori aestu, phlogosi & calore vehementiori juncta
sunt, quale evenit juvenibus & cholericis. Frigidus vero est,
ubi pulsus tardus, dolores magis fixi, frigus, motus impo-
tentia, languor modo minor modo major membra defa-
tigat.

Curatio.

1) Curatio Scorbuti eo absolvitur, ut excrementa acria
salina humoribus detrahantur. Quod ipsum consequimur,
si sanguinis motum augemus, restituentes tonum partium
& meatus corporis aperientes. Praestant autem hoc imprimis
balsamica, quae subtili sale acri sulphureo scatent; Unde fere
omnia resinosa antiscorbuticam vim alunt. Talia imprimis
sunt lign. & cortex quajac. lign. & cort. saffrafas, lignum
juniperinum, abietis & pini, praesertim ejus strobili, gum.
ammoniac. sagapen. bdellium, myrrha, gum. quajacum,
benzoe, mastix, sandaracca, succinum, terebinthina, bac-
ca juniperi, quae vel in forma pillularum, vel in forma de-
cocti aut infusi data, sive cum aqua, sive cum cerevisia co-
quantur, sive in forma essentiae propinentur, mirifice scorbu-
to adversantur.

2) Omnia salia volatilia item amara, cum spirituascen-
tiam sanguini concilient, egregie succurrunt scorbuticis; uti
sunt: centaur. min. absynth., fumaria, trifol. fibrinum, radix
armaraciae, cochlearia, beccabunga, eruca, spiritus tartari vo-
latilis, sal volatile oleosum Silvii, sal volat. cornu cervi, praes-
sertim cum spiritu salis armoniaci mixtus. Quae omnia iis,
qui scorbuto laborant mirifice auxiliantur. Decoctum itaque
antiscorbuticum potest esse tale: Recipe rufur. lign. quajaci,
fantali citrini, ligni juniperi, saffrafas. an. unciam j. rad. atheae,

glyzyrrh., chinæ an. unciam semis, trifol. fibrini, summitat. cent. minor. an. manipulos ij, strabilorum pini drachmas X. passularum majorum, ficuum an. uncias iij coqv. in cerevisiæ tenuis vel aquæ pluvialis mensuris octo; addi potest spiritus cochleariæ, tinctura antimonii acris. Si dilutius est decoctum, inservire potest loco cerevisiæ. Pillulæ antiscorbuticæ sequentes ex usu sunt: Recipe gum. ammon. sagapen. galbani, myrrhæ, aloës, extr. centaur. min., trifolii fibrini an. drachmam semis resinæ lign. quajaci, extr. zedoar. vitrioli martis, florum benzoës an. gr. XV. ol. cochlear gut. X. m. f. l. a. pillulæ.

Cautela.

1) Omnia purgantia validiora & quæ vehementius sudorem excutiunt, calida & spirituosa, quoniam nimium tenuæ fluidum subtrahunt & majorem acrimoniam humoribus adferunt, perniciosissima existimanda sunt.

2) Venæ sectio, si sanguine crasso turgent vasa, summe est necessaria, cum detracta mole reliquus in vasis sanguis facilius circumvolvi & attenuari possit.

3) Omnia sicca chymica & quæ ad motum fibras sollicitant non admodum tuto offeruntur. Tutius dantur ex copioso & fluido vehiculo, quo humores mobiles redditi, postea facilius cedant stimulo medicamentorum.

4) In scorbuto, præsertim calido, spirituosa antiscorbutica, uti sunt salia volatilia, specifica ex cochlearia, beccabunga semine sinapi, sedo vermiculari, radice Aronis, raph. rustico, alliacia sæpius adeo non profunt, ut potius mali vim augeant, exacuando salium spicula & in concitatiores motum eadem exagitando.

5) Scorbutici vitent omnia mercurialia, quia salivationem gravissimam movent faucesque & oris partes male corrumpunt.

6) Scorbuticorum symptomata, quæcunque etiam sint;

uti

uti sunt exulcerationes, putrefactiones, dolores, externis minus solum cedunt, sed semper internis, sanguinem depurantibus, magis evincuntur.

7) In scorbuto bilioso calido serum lactis vel lac etiam ipsum praesertim asininum cum decocto strobilorum pini mixtum vel succo beccabung. expedit. Aquae porro salubres omni sale orbatae, uti sunt aqua Bebrana Schleusingensis & in Italia Pisana, praestantissimam opem adferunt. Utpote acidulae quae multum salis vehunt ut Egranae, Pyrmontanae non tam aptae sunt scorbuto curando quam aquae subtiles, dulces, praesertim sit iisdem balneum interponatur.

8) Uti otium & quies corporis ad scorbutum quam plurimum confert, sic motus non modo ab eodem tuetur corpus, sed & curationem unice adjuvat & diluentium ac aperientium virtutem mirifice auget in scorbuto calido. Ex hisce remediis eminent acida subtiliora, uti est acetum, quae cum herbis antiscorbuticis & amaris commixta, fortius aperiunt, nec tam insignem ardorem ac calorem in corporibus efficiunt.

9) In arthritide vaga scorbutica, item spasms scorbuticis succus lumbricorum viventium decoctis recte adjicitur. In paralyfi & langvore scorbutico balnea cum strobulis pini unice praestant, neque contemnendi usus habenda sunt. Lactis cura, si antiscorbutica interponantur, magnam praebet utilitatem.

10) In scorbuto inveterato, ubi habitus corporis spongiosus est, succis impuris vasa turgent, inedia omnibus auxiliis praestantia facile anteferenda est, quo tempore decocta illa scorbutica & diluentia omne absolvunt punctum.

21) Optime misceri possunt antiscorbuticis & decoctis pingua ex animantibus desumpta, v. g. axungia humana, medulla ossium ex equis, vitulis, agnis; Haec enim demulcent acrimoniam, partes dilaceratas consolidant, emolliunt, vias lubricas reddunt.

CAPUT VI.

De

Atonia ventriculi & intestinorum.

OBSERVATIONES.

I.

ATonia ventriculi nimiam inflationem & expansionem ejus & intestinorum efficit, unde motu peristaltico harum partium imminuto, vapores sive flatus, qui partim ex fermentatione alimentorum elevantur, partim ex caloris actione in humidum, non propelluntur, sed stagnant, partes sensibiles nerveas distendunt & insignem dolorem efficiunt.

II. Ipsum malum hypochondriacum nil nisi talis atonia est, quippe sub hoc non modo intestinum colon, quod jacet in sinistro & dextro hypochondrio propter flexuras, existentes ibi, mirum inflatur & distenditur, sed & ipse ventriculus, cujus maxima & capacissima pars sinistrum occupat latus sub costis nothis valde distenditur.

III. Cognoscitur inflatio harum partium ex tumore circa dextrum vel sinistrum latus praesertim statim post cibum ampliore, vel post aliquot horas, facta digestionem. Cognoscitur quoque ex ructibus, qui copiose erumpunt, praesertim acidis dum exeunt, ex alvi adstrictione flatuumque suppressione; quoniam ob nimiam distensionem membranarum ventriculi & intestinorum motus contractorius, qui expellit excrementa & flatus, deficit.

IV. Inflatio ventriculi nimia anxietates ingentes praecordiorum, respirationem difficilem, nimios dolores tensivos, cardialgias, asthma siccum convulsivum, vertiginem, cordis palpitationem, phlogoses sive translationem sanguinis ad caput & faciem, in nonnullis etiam pathemata melancholia producit.

V. Est hoc malum vel transitorium vel diuturnum, hoc in sic dictis hypochondriacis accidit & illorum præcipuum symptoma est, idemque causam agnoscit altius defixam in obstructione lienis vel hepatis, sive transitu sanguinis difficili per venam portæ; Illud contra subito oritur & comitatur maxime suppressionem mensium in fœminis, qui sæpe statim a terrore injecto consistunt. Ostendit se etiam hoc malum, si lochla non recte procedunt & effusus alioquin sanguis per hæmorrhoides in viris fluere desit.

VI. Quo corpora sunt sensibilia, eo vehementiora incidunt symptomata, quippe tensiones, dolores, imo convulsivæ artuum agitationes comitantur inflationem ventriculi. Inflatus porro ventriculus & diaphragmatis musculos & nervosas partes vehementer distendit, ut ægri & angustia spirandi & oppresione ac anxietate pectoris excrucientur.

VII. Causa inflationis hypochondriacæ est plerumque acris & celerrima ab acido menstruo, facta alimentorum fermentatione. Pejora sunt symptomata in hypochondriacis, si plethora simul laborant ægri & sanguis, alioqui per certas partes fundi solitus, fluere desit.

VIII. Occasionem sæpissime huic inflammationi hypochondriacæ præbent febres intermittentes male curatæ & adstringentibus, v. g. china chinæ nimis intempestive suppressæ. Disponit etiam ad eandem potus frigidus, ingestus corporibus æstu solutis & nimia satietas in corporibus ex morbo debilitatis. Ructuum ejectio imminuit, symptomata, quæ etiam concoctis cibis mitescunt, mox aliis ingestis, recrudescunt. Interdum jejuni, interdum ad cœnam evomunt acida acria phlegmata, ut eis dentes a torpedine afficiantur.

Curatio.

1) Inflatio diuturna & hypochondriaca exigit ea remedia, quæ totum ventriculum & intestinorum motum peristalticum confirmant, acidum nimium, quod causa fermentationis ni-

mix est, extingvunt & flatus ructusque movent; Ex omnibus vero pillulæ ex extractis amaris herbarum paratis, absynth, centaur. min. card. bened. laudem merentur, eorumque virtutem egregie acuunt & simul roborant gummata resinosa, ut sunt: myrrha, mastix, Sandar. gummi hederæ, gum. elemi, benzoe resina ligni laudani, opobalsamum, resin: storacis. Veteres in hoc affectu mirum commendarunt hieram picram item extr. absynth.

2) Tonum ventriculi & intestinorum summopere roborant martialia; Ex liquidis essentia Ludoviciana, vel martialis liquor, præparatus, coquendo limaturam martis cum cremore tartari.

3) Clysteres carminativi, flatus dissipando, magnum levamen adferunt hoc affectu correptis, item salia volatilia oleosa, essentiæ carminativæ, spiritus nitri & vitrioli dulcis, præsertim si cum spiritu salis armoniaci miscetur, præsentissime discutunt, flatus & insigne alleviamentum præbent.

Cautela.

1) Martialia sicca nunquam danda sunt, nisi quando præfens fuerit magna acidi copia.

2) Semper martialibus interponenda sunt amara, rhabarbarina, humectantia item balnea.

3) Hypochondriacis egregie conveniunt aquæ salubres, item exercitatio corporis, & motus sufficiens nec non balnea aquæ dulcis, quoniam hæc ipsa viscerum obstructionem discutunt.

4) In inflatione ventriculi, quæ subito fit a mensibus, hæmorrhoidibus vel lochiis suppressis, nihil præsentius est venæ sectione, præsertim in pede instituta. Iuvat etiam iis hirudines applicare qui hæmorrhoidibus affecti sunt.

5) Omnia acria, calidiora, drastica purgantia, etiam emetica nec non opiata omnibus modis evitentur. Neque minus fugere oportet victum copiosum flatulentum, durumque & acidum, omnem graviolem affectum, frigus, quietem, otium, item fructus horreos,

De Phthisi ac tabe,

OBSERVATIONES.

I.

Musculosarum totius corporis fibrarum tonum ac robur omnium maxime evertit phthisis, eademque nutritionem corporis intercipit, partes ejus mox absumptura. Atque hic phthisis tabes est latius sumto vocabulo, strictius idem si accipitur, phthisis est, quando a pulmonibus corruptis læsisque corporis consumptio incipit.

II. Omnia viscera, præsertim sangvinea corrupta, putrefacta, scirrhusa, indurata sequitur nutritio partium deperdita sive tabes, ob defectum lymphæ puræ a sordibus salinis purgata, rosida, unctuosæ, insipidæ, quæ partibus nutrimentum præbet.

III. Omnem corruptionem graviolem viscerum sequitur febris lenta, quæ dicitur hæctica; Et quo major corruptio eo major febris & contra, unde talis febris periculi est plenissima.

IV. Pulmones ceu viscus amplum vasculosumque ex multis membranis & vesiculis conflatum stagnationibus sanguinis & seri, ob tonum & robur membranarum labefactatum, valde obnoxium est, unde ad obstructions, ad inflammationes ad scirrhusas indurationes, ad hæmorrhagias, ad exulcerationes, ad corruptiones aptissimum est.

V. Phthisis differt gradu, prout nempe læsum est pulmonum viscus, hinc facilius & difficilius curatur. Differt phthisis a vomica, in illa enim pulmones exulcerati sunt, in vomica vero apostema sive abscessus in pulmonum substantia latitat. Differt quoq; ab empyemate, in quo puris collectio in cavitate thoracis accidit maxime ob vomicam ruptam. Differt porro a sanguine collecto in cavitate thoracis, qui fit vel a contusione, casu ab alto aut vulnere punctim facto. Collectum vero sanguinem comitantur difficilis respiratio, tussis molesta, gravitas, pondus ac tumor circa costas nothas, dolor pectoris, extremorum frigus, febris plus minus acuta.

VI. Em-

VI. Empyema thoracis, quod plerumque pleuritidem suppuratam vel male curatam comitatur, indicat tussis continua & frequens, obscura, quasi ex profundo arcescita, febris in principio acuta, postea mitior, fluctuatio quædam in thorace, anxietas, sudor colliquativus nocturnus, sapor putridus, pulsus intermittens, decubitus gravis in latere sano, rubedo & phlogosis genæ in regione partis affectæ.

VII. Difficillima est curatio, si pulmones putrefacti, si consumti fuerint, quod ex febre, virium & respirationis defectu & sputi præternaturalis copia adparet. Non raro observatum est, furculos arteriarum & venarum tussi esse rejectos. Notandum tamen non omni phthisi inesse sanguinis sputum, sed hoc sæpe sine illa & illam sine hoc sæpe exoriri.

VIII. Pulmones, si tuberculis duris scirrhosis scatent & hæc ipsa in exulcerationem abeunt, instar cancri consumuntur pulmones & rarius admittunt curationem. Horum tuberculorum signum est tussis sicca, contumax, ferina valdeque molesta.

IX. Phthisis arcescitur potest ex assumptione potus frigidi in corpus calidum, hæmoptysi adstringentibus intempestive tractata & suppressa pleuritide vel peripnevmonia male curata; Sequitur sæpe etiam tussim diurnam & stillicidium frequens pituitæ in pulmones neglectum.

X. Phthisis est maxime morbus hæreditarius, a nativa pulmonum debilitate eorumque tono destructo proveniens. Ætas juvenilis, habitus corporis spongiosus & laxus, pectus depressum & angustum maxime disponunt ad phthisin.

XI. Curationem recipit phthisis si ex stagnatione sanguinis vel feri in pulmonibus fit, v. g. ex mensium suppressione vel si iidem plane defecerunt, vel si a potu frigido aut hæmoptysi suppressa, vel ab externo vulnere oritur, modo mox in principio medicina conveniens admoveatur.

XII. Phthisici, quorum vasa sanguine plena sunt, facilius curantur, quam ubi sanguis consumtus est. Desperata
phthisis

phthisis signa sunt diarrhæa, virium nimius defectus, tumor pedum, urina oleaginosa, & pulsus matutino tempore celer.

XIII. In dissectis corporibus phthisicorum plerumque non modo pulmones consumti, putridi & fœtidissimo pure scatentes, tuberculisque scirrhosis pleni adparent, sed & sæpissime hepar, lien, pancreas scirrhosa dura ingentisque magnitudinis deprehenduntur.

XIV. Subito sæpius moriuntur phthisici circa æquinoctium, præsertim autumnale, expectoratione, quæ antea vehemens fuerat tardiori reddita vel suppressa.

Curatio.

1) In phthisi lactis cura nihil præstantius videtur, quæ ab omnibus sæculis laudem invenit. Commendatur maxime lac asininum, caprinum, quia tenuius, muliebri tamen præstantius, postea asininum. Satius autem est illud diluere aqua salubri portione æquali sive pura sive alcalina, qualis est aqua Selzensis, Tincsteinensis, Wildungensis; Sumitur mane tribus vel quatuor horis ante cibum, incipiendo a libra semis usque ad libras duas & tunc abstinendum est ab omni vino. In lacte sumatur balsamum vulnerarium pectorale sequens: Recipe fl. sulph. drachm. i. axung. human. vel canin. ol. amygdal. dulc. an. uncias ij. coq. leni calore adde bals. de Capaiba, ceræ alb. an. drachm. i. sperm. ceti scrupulos IV. ol. anisi, fœniculi an. gut. X. dosis est drach. i. Quod balsamum cum lacte sumtum egregiam demulcendi vim habet.

2) Bolus fabrilis & hæmatites ad scrupulum unum sumtus, singulis diebus cum conserva rosarum vel emulsione amygdal. dulcium cum aqua rosarum, specificam virtutem præstat.

3) Decoctum pectorale sequens præstantissimæ virtutis est: Recipe rad. chinæ, consol. maj. an. unciam i. herb. alchymill, pulmonariæ, scabiosæ, fœniculi, veron. hederæ terrestr., vincæ peruinæ, chærefol., tusfilagin. marrub. an. m. i. ligni sassafr. unc. i. fl. rosarum rubr., bellid. papav. rhæad. an. p. iv. rad. glycyrrh. drachm. VI. succi cancrorum fluviatiliam libram semis. m. coq. in f. qv. aquæ.

D ;

Cautela

Cautela.

1) Phthisis incipientis remedium est venæ sectio, quæ in hæmoptycis imprimis locum habet, si ea consveta fuerit suppressa, si pleuritides consvetæ non revertuntur, si vasa sanguine turgent, habitus corporis strictior est. Pernicialis vero venæ sectio est, si hæctica vel putredo jam adest pulmonum vel ob defectum sanguinis & virium aut nimias profusiones sanguinis phthisis exorta fuit.

2) Cæli mutatio, vectio in curru, equo, navî, aër temperatus non nimis calidus vel frigidus sed modice humidus phthisicis maxime prodest.

3) Omnia adstringentia, opiata hæcticis & phthisicis vitanda sunt, siquidem celeriter mortem accelerant, salutarem sistendo expectorationem. Vigiliæ & tussum graviolem in phthisicis sistunt opiata, sed graviolem inducunt putredinem, virium debilitatem & augent sudores.

4) Purgantia omnia acria, calida, acida, stimulantia, balsamus sulphuris noxiosissima sunt. Qui ad Phthisin inclinant, ab omni profundiore cogitatione abstineant & animum ad omnem lætitiã componant. Phthisici quoq; & hæctici non in lectis mollibus & pulvillis nec in dorso dormiant, sed in lecto ex corio vento repleto.

5) Omnis victus humectans & nutriens huic malo commodissimus; Laudantur hunc in finem juscula ex carnibus, jus gallinarum, caponum, perdicum, pedum vitulorum, cancrorum, lac cochleæ terrestres, limaces, ostreæ, cancri fluviatiles, pineæ, amygdalæ, pistacæ, ficus, passulæ, aqua hordei, gelatinæ.

6) Qui lacte uti volunt, vix alium cibum debent degustare & ter die illud sumere, post cujus usum corpus moderate movendum.

7) In empyemate balsamus pectoralis cum decocto pectorali egregium præstant usum. In eodem nihil præsentius paracentesi in tempore adhibita, qua non simul & semel sed paulatim est evacuandum vitiosum pus & injectiones vulnerariæ ex herbis vulnerariis, decoctæ cum vino Hispanico substituendæ.

8) Si Sanguis congrumatus in pectore phthisin minatur, decocta vulneraria, sperma ceti, lapides cancrorum cum aceto destillato mixti, decoctum bellidis minor. consolidæ Saracenicæ, hederæ terrestris, tusfilaginis, chærefol non carent laude.

9) Ther-

9) Thermarum item acidularum usus in phthisi minus tutus est; Conveniunt vero fontes salubres & subtilioris aquæ cum lactæ sumtæ.

CAPUT VIII.

De Dyspnœa sive asthmate.

OBSERVATIONES.

I. **T**oni pulmonum læsi foetus quoq; est dyspnœa, quæ est inspi-
ratio læsa, junctæ cum labore, difficultate & anxietate, ob de-
ficientem expansionem vesicularum pulmonalium, unde sanguinis
transitus ex corde per pulmones & ex pulmonibus in cor impeditur.

II. Dyspnœa ab orthopnœa gradu differt; Hujus signum est, quan-
do quis sublatis alis recto corpore & admodum expanso cogi-
tur respirare, unde, simulac tales orthopnœici dorso incumbunt,
suffocatio imminet.

III. Merito distingvitur dyspnœa sive asthma a practicis in sic-
cum & humidum; In sicco contractæ sunt membranæ nervosæ pul-
monum & vasorum bronchialium, sive id fiat ex spasmō & convul-
sione sive ex fumo constringente sicco, vel carbonum fossilium, vel
saturni, vel calcis aut halitibus venenosis metallicis, sive oriatur a
sordibus acris, corrosivis nervos occupantibus, ob morbillorum,
podagræ, scabiei, erysipelatis metastasin sive retropulsionem. In
humido vero copiosa materia, sive mucida, sive purulenta, sive tar-
tarea viscida aut ipse sanguis in pulmonum substantia eorumque
vasis hæret.

IV. Lethalem orthopnœam efficiunt vena rupta in thorace,
abscessus magnus pulmonum ruptus, a quo pulmones ob mate-
riam purulentam veluti inundantur. Lethale quoque asthma si
hydrops pectoris jungitur, si polypus in corde residens e sede
sua exturbatus orificia vasorum occupat.

V. Asthma siccum, materia aliorum digressa sive ad habitum cor-
poris sive ad artus, de vehementia sua remittere solet. v. g. Si erysi-
pelas vel podagra, scabies aut dolor extremas partes occupat.

VI. Sæpissime asthma est pituitosum & fit a decubitu sanguinis
serosi in pulmonum substantia nimium relaxata; Unde plethorici,
cachetici plerumque sunt asthmatici, item mulieres quibus men-
strua laborant & viri, quibus hæmorrhoidalis fluxus interceptus.

VI. Asth.

VI) Asthma humidum affectus magis est continuus, siccum & spasmodicum pe-
riodicus; Humidum vero motu corporis exasperatur & aëris mutatione pejus vel
melius se solent habere ægri. *Curatio.*

1) Curatio alia est vel in paroxismo vel extra paroxisum. In paroxismo, si ex
vitio sanguinis provenit, vena incidenda & sessio sub situ erecto, item alvi ductio per
clysterem commendanda,

2. Sequens potio utilis est: Recipe aqv. hyssop. fœniculi, tragoni an. unc. ij. Spiritus
salis ammoniaci anisati, spiritus cornu cervi succinati an. drachm. semis, essentia
glycyrrh. drachm. ij. syrupi violarum unciam semis. m.

3) Vomitorium lenius in quovis astmate non contemnendum est, v. g. Recipe tar-
tari emet. granum unum semis, nitri purif. gr. viij. aquæ anisi unc. semis. m.

4) Extra paroxisum, si cachexia mali causam attulit, anticachectica, martialia,
amara, præsertim pillulæ polychrestæ optime conducunt.

Cautela.

1) Thermæ item acidulæ in astmate omni humido & hypochondriaco svadendæ
sunt. In astmate vero sicco convulsivo vel ubi hydrops pectoris jungitur cane
pejus & angve easdem defugere oportet.

2) In omni astmate abstinendum est maxime ab omnibus purgantibus fortiori-
bus, præsertim quando ex metastasi materiæ vitiosæ acris oritur.

3) In astmate quod fit ex regressa vitiosa materia ad pulmones, omnia pectora-
lia evacuantiæ, dulcia nocent; Commodissimam operam ferunt liquor bezoardi-
cus excellentissimi Dn. Præfidis ejusdemque pulvis bezoardicus.

4) In astmate humido & cachectico inedia & loco potus ordinarii sumtum de-
coctum lignorum diluens, ex lign. guajaco, sassafr. rad. chynæ glycyrrh. enulæ,
passulis minoribus confectum optimo auxilio est.

5) Cavendum in omni dyspnœa humida & cachectica est ab omnibus opiatis,
anodynis, facile enim præcipitant in hydropem.

6) Si mucus in pulmonibus residet, vel pus evacuandum est, syrupus nicotianæ
bene præparatus per diurnam coctionem cum vino malvatico vel Hispanico,
sumtus, item gummi ammoniacum ex vino Hispanico solutum potentissime re-
solvunt & expectorant. Flores quoque sulphuris extra paroxisum, item balsa-
mum sulphuris temperatum, anisatum, tonum pulmonum restituendo egregiam
opem ferunt.

8) Pediluvia in astmate sicco optima sunt, præsertim quando materia est subti-
lior qualitate peccans, dum trahunt eam deorsum,

9) Sanguinis detractionem commodissime sustinent qui orthopnœa sicca & in
qua deficit sputum, oppressi jacent. Eadem non negligenda est, si ex mensium
vel hæmorrhoidum vitio malum invasit.

10) Fugere oportet sub hoc malo frigidum ac nebulosum aërem, omnia acris,
falsa, quæ malum exasperant. Victus sit facilis, potus liberalior somnus moderatus.
Juvat etiam pedes & inferiores partes subinde perfricare. Denique ad tranqvilli-
tatem animus excitandus est, quæ, sicut in omnibus gravioribus morbis, ita &
in hoc vitio est amplectenda, ut curatio eo faciliorem adsequatur